



The Holy See

IOANNES PAULUS PP. II

***EPISTULA AD
ANTONIUM S.R.E. CARDINALEM QUARRACINO,
ARCHIEPISCOPUM BONAËRENSEM***

Venerabili Fratri Nostro

Antonio S.R.E. Cardinali Quarracino

Archiepiscopo Bonaërensi

Eadem omnino cum fiduciae aestimationisque magnitudine qua tibi, Venerabilis Frater Noster, tam gravia adhuc tua in patria pastoralia munera commendavimus, eadem insuper cum benevolentiae amplitudine qua inter Dei Ecclesiae purpuratos Patres nuperius adnumerari te censuimus, has tibi hodie de manu veluti in manum tradimus Litteras, ut praeter alia omnia sensuum de te Nostrorum documenta et indicia peculiarem hanc gratulantis maxime animi Nostri luculentamque habeas testificationem.

Consolationi enim ingenti Nobis est ac voluptati simul intus in animo ac sermone hoc Nostro innumerabilia tua ministerii sacri merita recensere, incepta perpendere multiplicia, recolere frugifera insigniter opera. Sed occasio memorabilis ipsa et opportunitas singularis, qua hodie vehementer quidem ad hoc erga te officium permovemur, tantam Nobis parit laetitiam quantam iam praevidemus tot alios illic Fratres Episcopos et sacerdotes, fideles et vitae consecratae sodales pariter esse hoc tempore percepturos. De tui, Venerabilis Frater Noster, presbyteratus loquimur nimirum aureo iubilaeo, quem permagno ex Divini Pastoris beneficio tibi hoc anno commemorare concelebrare licebit.

Quinquaginta namque annorum impigram plane industriam tuam in omni apostolatus provincia ac studiorum regione Nobiscum plurimi gestient convenienter extollere teque ipsum inter Ecclesiae praestantes pastores efferre. Praesidem enim egisti Consilii Episcopalis Americae Latinae (vulgo CELAM), atque non uni, sed pluribus gregibus et communitatibus ecclesialibus profuit sacerdotalis

atque episcopalis haec tua navitas – Mercedensi, Sancti Dominici Novem Iulii, Avellanediensi, Platensi, Bonaërensi –, cum omnis Catholica Ecclesia in Argentina salubres operae tuae experiatur effectus: idcirco facile Nos animo concipimus cum quanto quasi alacriter canentium choro Nostram quoque claram consociemus vocem in te Christi sacerdotes dilaudando.

Laudatio autem haec Nostra fraterna tangit diuturnum tuum docendi opus in seminariis ac Universitate Catholica; respicit curationem providam prorsus Actionis Catholicae atque aliorum generum apostolatus laicorum; sollicitam maxime operam tuam includit de novorum presbyterorum quam solidissima institutione; promotionem non praetermittit perdiligentem tuam verae culturae, christianae humanitatis, ipsius musicae choralis quam omnes adamare te noverunt. His vero singulis in ministerii sacri partibus et rationibus virtutes sacerdotales prae te tulisti egregias et dotes, pro quibus Divino Largitori congruas reddes grates et de quarum plenissimo usu gratulari cupimus tibi, Venerabilis Frater Noster, hoc faustissimo tempore.

Utinam iubilans tua celebritas mentis tibi abunde consolationem adferat fervorisque tui sacerdotalis in posteros annos confirmationem necnon iam in terris divinam remunerationem. Esto tibi salutatio Nostra ex animo, et Apostolica item Benedictio ex imo pectore impertita, aestimationis Nostrae meritorum sacerdotalium tuorum comprobatio simulque divinorum posthac etiam adiumentorum impetratio, unde communitas Bonaërensis et ipsa Ecclesia in Argentina de presbytero te atque episcopo gratulantes perpetuo laetentur.

Ex Aedibus Vaticanis, die VIII mensis Septembris, anno MCMXCV, Pontificatus Nostri septimo decimo.

IOANNES PAULUS PP. II

© Copyright 1995 - Libreria Editrice Vaticana

Copyright © Dicastero per la Comunicazione - Libreria Editrice Vaticana